



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXXIX. Gregorii Papae I. Ad Sabinianvm Diaconvm. De superbia
Ioannis episcopi vitanda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

*adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium
testium stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic ecclesia. Si
autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.
Ego itaque per responsales meos semel & bis verbis humili-
ibus hoc quod in tota ecclesia peccatur corripere studui:
nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter de-
bui non omisi. Sed si in mea correptione despicio, restat
ut ecclesiam debeam adhibere. Hæc itaque dicens, omni-
potens Deus fraternitati vestræ indicet, quanto circa vos
amore constringor; quantumque in hac causa non contra
vos, sed pro vobis lugeo. In qua tamen præceptis euange-
licis, institutionibus Canonum, utilitatibus fratrum per-
sonam præponere non possum, nec eius quem multum
amo. Scripta autem sanctitatis vestræ dulcissima atque
suauiissima de causa presbyterorum Ioannis & Athanasii
suscepi, de qua vobis in subsequentibus domino adiuuan-
te respondebo, quia sub tantis tribulationibus circumfu-
sus barbarorum gladiis premor, ut, non dico multa traœta-
re, sed mihi respirare vix liceat. Data Kalendis Ianuarii in-
diætione XIII.*

EPISTOLA XXXIX.

G R E G O R I I P A P Æ I.

AD SABINIANVM DIACONVM.

De superbia Ioannis episcopi vitanda.

Gregorius Sabiniano diacono.

Ioan. diac.
lib. 3. cap.
55.

DE causa fratris nostri viri reuerendissimi Ioannis epi-
scopi Constantinopolitani duas epistolas facere no-
lui. Sed vna breuiter facta est, quæ vtrumque habere vi-
deretur admixtum, id est, & rectitudinem & blandimen-
tum. Tu itaque dilectio eam epistolam, quam nunc dire-
xi, propter voluntatem imperatoris dare studeat. Nam de
subsequenti talis alia transmittitur, de qua eius superbia
non lætetur. Ad hoc enim usque peruenit, ut sub occasio-
ne Ioannis presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus
se pene per omnem versum οἰκουμένην patriarcham nomi-
naret. Sed spero in omnipotentem Deum, quia hypocri-
sim illius superna maiestas soluet. Miror autem quomodo
dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domno

imperatori persuaderi, quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admonerer *vt cum eo pacem habere debuisssem*. *Quis si iustitiam tenere vult, illum debuit admonere vt se a superbo vocabulo compesceret*, & protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate a prædicto fratre nostro Ioanne factum sit, minime suspicor pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit *vt audiretur dominus imperator*, & ille in sua vanitate confirmatus esse videretur; aut non a me audiretur, & eius animus contra me irritaretur. Sed nos rectā^{* fort. viā} vitam tenemus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dōminum metuentes. Vnde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quae in hoc sæculo videt^{* fort. acta} alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat; in omnipotentis Dei gratia atque beati Petri apostoli adiutorio confidat. Vocem Veritatis recolat dicentis: *Maior est qui in cælis est, quam qui in mundo*, & in hac causa quidquid agendum est cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam pro vtilitate reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est *vt per eos etiam fidem perdamus*. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Vnde sicut tibi iam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas.

EPISTOLA XL.

GREGORII PAPÆ I.

AD THEODORVM MEDICVM.

Gratias refert de pecunia pauperibus transmissa.

Gregorius Theodoro medico.

EGO omnipotenti Deo gratias ago, quia eorum qui se vicissim veraciter diligunt loca animū non diuidunt. Ecce enim, dulcissime & gloriosissime fili, longe a vobis distamus corpore, & tamen præsentes vobis existimus caritate. Hoc vestra opera, hoc scripta testantur, hoc de præsenti expertus sum, hoc de absenti vestra gloria recognosco. Hoc vos & hominibus amabiles, & omnipotenti Deo dignos in perpetuum faciat. Quia enim virtutum mater est caritas, idcirco bonos operum fructus profertis,

Iii iij